

Editionem omnibus aliis præfero. Tantam autem auctoritatem habent Glossæ, vt de iis vulgatum sit prouerbium ; *Glossæ auctoritatem omnes excellere*, & illi tanquam Caretio veritatis perpetuo adhærendum esse. Maxime vero dum Aduocatis adminicularentur, idolum Aduocatorum fuerunt adpellatæ. Quare etiam ex eius sententia cauſsam iudicandam esse putat Arthurus Duck, de auctoritate iuris Ciuilis lib. I. cap. VIII. quoties insignis aliquis interpres ei adhæserit. Ad hocce vero Glossatum Corpus binos habemus indices : alterum collectore PETRO BROSSEO, *Lugduni 1589.* f. qui tamen breuior est, alias ob additas remissiones commendandus. STEPHANI vero DAOYS, *Nauarri Index ad Corpus Iuris Ciuilis*, auctus per Thomam de Iuges & Venetiis *1610.* ac Geneue *1635.* f. editus. optimus est, & non ad textum iuris solum, sed etiam ad glossam directus, immo etiam rarus.

**Fragmen-**  
**ta Vete-**  
**rum Le-**  
**gum.**

§. XVI. Ad Fontes hosce etiam referenda sunt Fragmenta veteris Iuris Romani & Iure Consultorum. Illud enim a Iure Iustiniane probe est distinguendum, cum hoc saltim ex scriptis Iureconsultorum concinnatum, reieatis nonnisi insigni cum detimento, fontibus genuinis. Primum Iurisprudentiæ Romanæ fundamentum sunt LEGES REGIÆ, a Sexto Papirio tempore Tarquinii Superbi, in unum corpus collectæ, quod exinde dictum fuit IUS PAPIRIANVM, in quod commentatus est GRANIVS FLACEVS, cuius *de Iure Papiriano* librum.